

nam, cujus necessitas tunc temporis erat princeps & potissima quæstio, qua de controversabantur: & hanc rem controversiosam sub incudem & examen revocatam atque ita dilutam fuisse adserit Paulus, ut Apostoli collacteam omnino veritati duxerint ejusdem enunciatum: *Circumcisionem nequaquam ad salutem esse necessariam.* Effato suo majus & validius robur ut constet, documenti loco Titum producit.

§. III. Τίτος ὁ σὺν ἐμοὶ, Ἑλληὺν ὢν, Duo erant Apostoli comites, unus *Barnabas*, qui *Judeus* erat, vir bonus & Spiritu Sancto ac fide plenus ad Apostolatam a Deo segregatus, alias *Joses* cognominatus *Act. IV, 36. XI, 24. XIII, 2.* quem evangelicæ prædicationis sibi injunctum opus usque ad septimum *Neronis* annum, in quo a *Cypriis* martyrio coronatus occubuit, exercuisse unamque ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem scripsisse epistolam *Sixtus Senensis*, encomiaste *Richardo Montacutio Analect. Exercitat. I. Sect. 1. p. 4.* immensi laboris author & industriæ, lectionis infinitæ, doctrinæ reconditæ, literis tradidit *libr. II. Biblioth. p. 54.* hanc epistolam e tenebris claustralibus nunc nuper eruit *Hugo Menardus*, quæ tamen jam olim a Patribus *Clemente Alexandrino, Eusebio, Hieronymo, Nicephoro Callisto*, præter *Originem*, in Apocryphorum classẽ tralata est, quicquid etiam *Isaacus Vossius* in recentata editione excipiat. Alter itineris hujus comes erat *Titus*, adolescens *Græcus*, id est, *Gentilis*; Græcos enim Gentiles inter ætate *Alexandri* celeberrimos & notissimos fuisse Judæis planum est ex *Corn. a Lapid.* Titus a Paulo conversus itinerum suorum socius & in ministerio *σύνεργος* (juxta *Hieronymi epist. CL. ad Hedibiam q. XI.* hic erat Pauli Interpres) postea totius Insulæ *Crete* generalis Episcopus, jam una cum Barnaba adducebatur, ut uterque *αὐτόπτης* esset & suis auribus imbiberet, num ipse ab Apostolis errorum quorundam convinceretur.

§. IV.